

Senecio

a cura di Emilio Piccolo e Letizia Lanza



Vico Acitillo 124 - Poetry Wave

Vico Acitillo 124 - Poetry Wave

www.vicoacitillo.net
mc7980@mclink.it

Napoli, 2009

La manipolazione e/o la riproduzione (totale o parziale)
e/o la diffusione telematica di quest'opera
sono consentite a singoli o comunque a soggetti non costituiti come imprese
di carattere editoriale, cinematografico o radio-televisivo.

Quomodo Ovidii carmina brevioris pelliculae imagines moventes fieri potuerint
di Donatella Vignola

Nihil latine dici non potest

Cinematographica pellicula “Metamorphosis” inscribitur; Alcyones et Ceycis fabulam interiectis Ovidii exulis carminibus narrat. In Licei gymnasii placentini cinematographica officina confecta est.

1. Cur Ovidii ars cinematographica sit

Quod Metamorphoseon carminum insigne videtur, immaginum vicissitudo est perpetuo motu proiecta. Omnia fluunt, alia in alia cedunt. Sint sane homines, vel dii, vel animalia, nulli status sui servandi certa fides est. Fabulae vi is commutabitur. Carminis oratio diffunditur in hac perpetua formarum mutatione, per conversiones (nunc repentinus nunc scienter dilatas) quae plurimum pollent in spectaculo, in quodam scaenico eventu fabuloso et significante. Per quem personae, artifex ipse, lectores, omnes consciit eandem fabulam agunt, obstupescentes quod id evenit. Neque interest visum nefas esse, vel fortuitum et intermissum, aut totum et omnino nudum, verum aut commenticium. Visio ipsa sanxit inter naturam et novam speciem limen ultra quod corpora rursus finguntur et formas induunt quas ingenium quoddam, non imperitum fabulosi carminis, iis conformavit.

Inter haec spectator vel lector, mirans rerum formas in alias commutantes, penitus animadvertisit quidquid mirabile et reconditum ad humanum pertinet.

Circa fabulas inanes liberum spatium patet quod traditioni et artibus datur. Singularis est illa libertas quae metamorphosis fabulis dignitur. Eae, dum formis eventus alligant tamquam vi chemica non retroagente, in ambiguis legibus suis horrorem, pietatem, sales amaros admittunt.

Et fabula dum se ipsa narrat, in re implicatur et metu exhorrescit; simul partim rerum divinarum et humanarum narratio est, partim fuga ab iis pavens horrore perfusa, fuga a re indicibili, ad spirabiliorum a_rem, velut si ars ius suum repetere velit contra verum gravius et illam vicem adsiduam quae omnia gubernat.

Omnis artes, minores quoque dictae, omnibus temporibus, potissimum dilexerunt illa quae reddi poterant summa libertate. Minime vero cinematographica ars, quamquam, sicut chorea (illa ipsa moventium formarum ars¹), singularem potestatem solvendi motus et imagines et totam fabulam ex rigore vel marmoreo vel fictili vel picto habet, in drama formas cedentes in alias traducens.

Cum ex Metamorphoseon carmine Italus Calvinus litterarum praecepta tradenda novo millennio excipiebat et quam urgenti numero saepe imagines in carmine Ovidii appareant et cedant in alias notabat², duas res quae praecipuae cinematographicae artis sunt notabat, id est conspicu et celerrime fluere.

Et vere cinematographica Ovidii ars est. Excipit ordinatim celeriterque per photogrammata transitum formae cuiusdam viventis et palpitantis in rigidum saxum vel arborem quae iam moveri

¹ E. Albinati, *Le metamorfosi, <La biennale di Venezia, Biennale new>*, 26 luglio 2002, p. 6.

² I. Calvinus, *Lezioni americane. Sei proposte per il prossimo millennio*, Mondadori, Milano 2002, p. 14 et passim.

nequit, oculis excipiens hominum condicionem fluctuantem inter verum et falsum, ordinem et chaos, diurnitatem et brevitatem, amorem et mortem. Quasi antesignanus computatoriae graphicae artis, Ovidius efficit ut videantur quae conspici non possunt, nulla interposita voluntate omnino suadendi.

2. De breviore cinematographica pellicula ut rescripto

Hoc loco quaestio quaedam existit: quid dicunt eae metamorphoseon fabulae animo mentique iuvenum nostrae aetatis etiam nunc? Difficile est dictu, eo magis quod parentes saepe, saepius societas, interdum magistri ipsi, atque etiam ministri, dubitant an operae sit hanc litterarum traditionem tueri, quae fabulosior (id est fere inutilis) videtur, praesertim si comparata cum ceteris disciplinis pragmaticis ut cognitione et scientia, rerum administrandarum studiis, vel cum communicationis socialis instrumentorum vi, quae omnia ad Europae iunctae cives hodie magis pertinere dicuntur.

Animo haec volutans mecum, quae adulescentes antiquorum litteras doceo, officinam cinematographicam apud Liceum Gymnasium Placentinum institui cui (duodecim sunt anni) ambitiosum consilium est traducendi in breviores pelliculas quod mens iudiciumque iuvenum ex humana Graecorum et Latinorum lectione excipiunt.

Pelliculae non semihora longiores sunt, tamen nonnulla arte et doctrina quadam confectae, quasi resonantiae et consonantiae quae antiquos de nobis plura quam nos dixisse testantur.

Hac coniectura nixa sum: actionis monstranda ars, quae Ovidii poëtae carminis propria est, fabularum translationem expedire potest in cinematographicum sermonem – ut ita dixerim – et simul in vertendo efficere ut earum subtegmina penitus intellegantur et, una cum antiqui poëtae mente, etiam mens animusque hominis qui in omni tempore cum vitae condicionibus certat.

Discipulis Ovidius exul mire placuit, reiectus a principe fortunaque sua in terrarum extremis finibus, inter Getas barbaros ubi, Romae principatus cantor coactus, se barbarum confessus est: *Barbarus hic ego sum qui non intellegor ulli / et rident stolidi verba latina Getae*³. Quae vox primum impulsu metamorphosis traslationi scenicae dedit, scilicet illius metamorphosis verae civis romani qui, extirpatus ab humo suo, primus adfirmat omnia ex aliorum contentione, non ipsa per sese, cognosci atque intellegi posse.

Ovidii casus civis romani cuiusdam casus est qui, sibi extraneus factus, Getarum linguam discit, cum Tomitanis communicat, eorum amicitiam experitur et cultus atque humanitatis particeps fit eorum qui Romani non sunt.

In breviore pellicula quae inscribitur “Metamorphosis”, Alcyones et Ceycis fabula narratur, coniugum infelicium qui, in Metamorphoseon libro undecimo, in aves versi sunt. Sed discipulorum scaenica deductio congruentias monstrat cum Ovidii exulis vita (supremum “vale”, uxoris amorem, mortis bellique timorem, somnia, metamorphosis desiderium … *Ille ego sum, lignum qui non admittar in illum / ille ego sum, frustra qui lapis esse velim*⁴ tamquam si Metamorphoseon poëtae se ipsum narraverit iam verum praesentiens.

³ *Tristia* 37 s.

⁴ *Epistulae ex Ponto* I, 2, 33 s.

3. De operis gradibus

Brevior pellicula in licei gymnasii cinematographica officina composita est, per temporis postmeridiani otium (an negotium nescio). In eam sua sponte discipuli, seu iuniores seu seniores omnium ordinum ludi inscribuntur (aliqui valde studiosi etiam per totum quinquennium manent). Instituuntur a iuvenibus visualis artis peritis qui alumni fuerunt et qui imaginum moventium artem nunc exercent.

Ex consuetudine, tirones argumentum proponunt quod iis cordi est vel aliquos litterarum locos quibus ipsi et eorum condiscipuli delectati sint in bonis latinitatis vel graecitatis scriptoribus legendis; veteres et qui peritiores sunt in officina primum inter se et cum proponentibus disserunt quomodo argumentum vel loci traduci possint in cinematographicam fabulam; deinde ut pellicula imprimatur curant. In officina discipuli omnes gradus percurrunt qui ad pelliculae diutinae editionem, etiamsi brevi mensura, usque ad proiectionem in publicum ducunt.

Utile videtur, antequam gradus ad pelliculam faciendam explicantur, eos in tabula ordinari tamquam in cinematographica grammatica quadam⁵.

TAB. 1

PRAE-CONFECTIONE	
<i>Res</i>	Id est quod communicandum vel narrandum est per imagines moventes.
<i>Subiectum</i>	Res breviter fabulose exposita in litterarum forma subiectum dicitur.
<i>Prima fabulae distributio in scenicis partibus sequentibus, quae "scalulae" dici solet.</i>	Scaenae photographice exprimendae, cum brevissima descriptione et temporis ratione, ordinantur et enumerantur, scaenico apparatu deverbiiisque tantum adumbratis.
<i>Fabulae deductio ad scaenas.</i>	De ultima totius narrationis distributione in scaenis agitur perfectis alternis sermonibus.
<i>Scaenicae fabulae exemplar ad technicorum usum quem francogallice "découpage" dicitur.</i>	Omnes scaenae et earum ordo continuus explicantur, notationibus adiectis singulis imaginibus. Notae ad imagines machinis excipiendas et componendas maxime necessariae sunt. Quae fintio repeatat, omnia perscrubuntur: machinae motus, singulorum prospectuum circumscriptiones, scaenarum transitus conexionesque, loca (interna vel externa), anni tempora vel diei horae, temporis spatium ad impressionem necessarium, voces, sonitus et cetera.
CONFECTIO	
<i>Cinematographice excipiendi labor.</i> <i>Locus quo cooperatorum coetus convenit, anglica lingua "set" dicitur.</i>	Omnium artificum labor est sive machinariorum sive peritorum qui in eundem locum electum ad cinematographice excipiendas imagines, sua unusquisque peritia, convenient: moderator, scaenarum dispositor, technicorum praefectus, photographiae rector, soni lucisque technici ...

⁵ Receptum de http://la.wikipedia.org/wiki/Cinematographica_grammatica (ultima mutatione 07:46, 10 Ianuarii 2008): "Cinematographica grammatica est classis normarum inscriptarum vulgatarum quibus moderatores ad pelliculas faciendas utuntur". DAVID WARK GRIFFITH ET GUGLIELMO BITZER cinematographicis tribuitur. Imaginum grammatica cum verborum grammatica metaphorice comparari potest: photogramma est imago singula (idem atque littera); inquadratura est series photogrammatum (idem atque verbum); scaena est inquadraturarum series (idem atque sententia); transitus est signum scaenae finitae (idem est punctuatio); conexio est scaenarum series quae fabulam narrant (idem atque paragraphus).

POST- CONFECTIONEM	
<i>Cnexio</i>	Machinarius compositor, quod in “scalulis” divisum est, nunc conicit sic ut scaenae fabulam narrantes continuae fluxaeque videantur.
<i>Sonituum mixtio</i>	Hic machinarii mixatoris labor est a quo deverbia, cantica, musicae selectae, voces, canglores, omnes externi sonitus iam antea separatim excepti, copulantur sic ut efficiatur una quae “soni columna” vocatur.
<i>Editio</i>	Machinarius editor imaginum series cum soni columna copulat; postea opus, iam perfectum, ad prociendum aptum est.

PRAE-CONFECTIONE

Origo pelliculae cuiuslibet et praesertim fabulosae cogitatio quaedam est quam aliquis per imagines moventes communicari vult.

Ex illa re textus brevissime narratus oritur quod subiectum dicitur.

Subiectum aliquid fabulosum in se recipere debet sic ut per continuam scaenarum seriem latius et photographice enarrari possit.

Deverbia initio tantum obliqua sunt et scaenographia tantum adumbratur.

Rerum ordo sive scaenarum series eiusmodi est ut a fabula verbis exposita ad fabulam visuali arte compositam veniatur qua et narrandi modus et ratio proportionalis et tempora regantur.

Cum omnium scaenarum ordo definitur et loca, personae, partes atque habitus describuntur, cum directa oratione deverbia componuntur, tum fabula ad actum scaenarum fere perficitur.

Restat ut singulae scaenae describantur in singulas inquadraturas divisae cum satis certa omnium sonituum significatione, locorum camporum vel figurarum prospectuum, machinae motuum (inclinationis, declinationis, sine aut cum carrulo, qui, dicere ausim, in crepidine ferriviaria movetur), anguli unde machina apta ad res cinematographicas excipendas despicit vel prospicit, usus commenticiorum effectum quos instrumento computatorio persequi possumus. Americanorum more descriptio semplicius redigi potest, tamen in describendis scaenis moderatoris opera et photographiae, sonitus, conexione mixtionisque peritorum, semper simul necessaria est.

Inquadratura depingi perutile saepe videtur, sic ut omnes scaenae (imaginum ordo continuus una cum scenico apparatu, lineamentis actorum vestium et ornatuum, lineamentis locorum ubi res agitur), et tota fabula ordinate praevideri possint in tabulis pictis (tamquam in libellis cursus maritimi describi solent) quae anglica lingua “Storyboard” nomari solent.

CONFECTIO

Fabula ad scaenas deducta, delectis locis ubi imagines excipientur, plurimi in eundem locum convenient et suo unusquisque artificio cooperantur. Cinematographia enim omnium peritorum artem exercentium (inter eos complures iam mulieres sunt) communes nisus uno tempore postulat.

Adsunt: praeterea:

- moderator
- actores
- scaenarum dispositor
- photographiae rector
- scaenographus

- cinematographiae scriptor
- editionis curator
- omnes iis assidentes.

Praeterea:

- machinarii
- pegmatum gubernatores
- lampadum lucem reverberantium curatores
- omnes electrici technici
- microphonici
- vestium curatores
- faciei fucandae periti
- machinarius instrumento cuidam paepositus quod, "ciac" edens, efficit ut scaenica actio et machinae ad imagines captandas motus simul principium incipient.

Qua re, pellicula quaelibet magni praetii esse solet et sponsoribus eget qui vel ipsi sumptibus consulant vel aliorum pecuniam comparent et administrent. Qui productores nomantur.

Moderatoris praecipuum munus est totum cooperatorum coetum regere. Maxime interest ad bene imagines excipiendas eum praesertim cum photographiae directore et machinatorum duce concordem esse. Nam cinematographicus sermo ex inquadraturis, prospectuum et camporum magnitudine, reductis vel eminentibus imaginibus, machinae inclinatione oritur.

POST-CONFECTIONEM

Pellicula, in loco impressa et confecta, in officina quadam scaenarum conectori, sonitum mixatori, pelliculae editori est perficienda.

Scaenarum conexio praecipuus gradus est. Nam imagines, artificiis plurimis conexae aut disiunctae aut dissolventes, non solum ad technicam rationem sed etiam ad narrationis pondus pertinent. Conexio facit ut spectator actionis tempus et spatium, similitudines, congruentias, translationes, omnes significaciones quae moderatori cordi sint animadvertis.

Sonitum mixtio cum imaginum conexione copulanda est.

Imagines sonitum movent, sic ut sonitus imagines movet; quas usque ad nova significantia effundit. Nam sonitus imagines fluitantes in unum redigere potest, tempora et loca extendit, personarum gestibus gravitatem subtilitatemque addit, pro verbis subicitur, fabulationem suopte rhythmo ordinat.

Ex quo descendit textum aptum ad cinematographicum spectaculum, aliud atque textum ad theatrum idoneum esse; mutari enim potest dum opus conficitur prout ingenii moderatoris vis, vel actorum partes agendi vis in scaena, vel casus postulat. Sed maxime interest illum cum imaginibus coniunctum esse; qua re ratio scribendi cinematographice a ceteris rationibus differt. Non agitur sic et simpliciter ars narrandi, sed ars narrandi aliquid prout imagines moventes (columna visualis) et soni (columna sonitum) postulant. Est cinematographicae artis narrare, monstrare, efficere ut animus commoveatur.

Aliquis roget: quid interest inter eam et scaenicam artem theatri?

In utraque simulatio rerum, non vera ipsa res est; motu tamen imaginum quae photographice exprimuntur fit ut oculorum mendacium minimum sit. Spectatori naturale videtur quod contra ex artificibus gignitur quia ars ipsa curat ut ii occultentur. Alter in theatro fit, ubi spatium saenicum fixum est et, ex pacto quodam, ut fictionis locus acceptus est.

4. De fabulae accomodatione ex narratione scripta ad formam visualem: quae ludi regulae sint

Imaginandi facultas e verbis scriptis saepissime oritur; cum in libris narrationem fabulosam quandam vel in actis diurnis aliquarum rerum chronica legimus, iuxta verborum pondus, scaenas easdem saepe videmus quae ante oculos evenire possint, attamen earum singulas partes quae ex indistinto emergunt.

In arte cinematographica, imagines quas in linteo moventes videmus, iam litteris expressae erant; postea, mente spectaculi cinematographicici dispositoris visae, personis certis temporibusque et locis, qui “set” dicuntur, definitae sunt ut machinis captarentur et luce exprimerentur in visifica pellicula.

Itaque omnes visificae pelliculae ex gradibus sequentibus oriuntur per quos verba et res in imagines moventes convertuntur primum mentalibus oculis deinde machinalibus. Illa imaginandi facultas quae ab Italo Calvino ad cinematograficam mentem pertinere dicitur⁶, in nobis naturaliter movetur (quod semper fuit, iam ante inventam cinematograficam artem) neque in vitam nostram interiorem a proiciendis imaginibus umquam cessat.

Praeterea litterae et ars cinematographica eadem enarrare possunt, sed rebus significantibus dissimilibus: litterae scriptura, cinematographica ars imaginibus, verbis dictis, sonis, signis graphicis utitur. Scriptura significare potest quae tantum cogitatione percipiuntur; exprimere facile tempora in vicem (verbis vel adverbiosis); intermittere narrationem ut aliquid describitur. Quae omnia cinematographice aliquanto difficiliora sunt. Contra imaginum ars potest excipere et significare plura eodem tempore (exempli gratia de persona). Est eodem tempore seu mimesis seu diegesis. Hoc ignorandum non est in accommodanda fabula narrata ad formam visualem. Scaenici scriptor et dispositor saepe sic agunt:

- deducunt
- addunt
- coartant
- effundunt
- novant
- transferunt
- inducunt vocem narrantem.

5. Quomodo de Ovidii carminibus actum sit

Cum discipulus carmina accommodat et in certamen cum sacra auctoritate descendit ut ea cinematographice communicet, dubium non est quin carmina imagines gignere intellexerit. Rescribere idem est atque interpretari, est penitus comprehendere. Rescribere declarat lectorem vitae usu suo litteris lectis significationem dare.

Artificiis detectis scaenici scriptoris, ludi regulae statuuntur (in rescribendo constat, quae omittenda non sunt, iis vim imaginandi permoveri).

Discipuli communi pacto haec necessaria esse statuerunt:

- uxoris amorem quae Ovidio exuli, sicut Ceyci, omnium privationum signum fit (cfr.carmen elegiacum de ultimo itinere);
- mortem (seu timorem emori seu transitum in aliam figuram);

⁶ I. Calvinus, cit., pp. 93 ss. (de visibilitate).

- bellum (cfr. undarum bellum cum Ceycis navi; bellum in triumphis Romanis, in principiis potestate vulgari modo expressa, bellum apud Tomitanis cum Getis barbaris in Ovidii vita);
- Alcyones Ceycisque fabulam iterum narratam.

Praeterea:

- ne Ovidius ipse effingatur sed eius vitae usus et modus spectandi res proponantur. Ex quo consilium ortum est eius de Alcyone et Ceyce carminis scaenica actione effingendi, praesertim cum ea fabula, et rerum condicionibus et personis, magis idonea ad ipsius poëtae vitae vicissitudines enarrandas visa est.
- Ne omnino Ovidius in sermonem novum transferatur sed ex eius opere excerptatur et effundatur quod hodierno tempore vividum et vivificum sit, ut amor, mortis timor et belli, solitudo, somnia.
- Fluitantia in Ovidii arte maneant a dramatis pondere ad laevitatem; ex quo scaenae alternentur inter se dissimiles (ut in Somni domo et in obsidionis arce).
- Ne observetur in fabula, sicut in perpetuo carmine, unum idemque tempus, unus locus, una actio, sed effundatur ea in exilii loco et belli scaenis novetur, ut obsidionis pericula memorentur quae poëtam in carminibus elegiacis metu territant⁷.
- Belli scaenae in hodiernum tempus transferantur.
- Narratio in mediis rebus incipiat.
- Narrator internus sit (cfr. ancillarum chorus).
- “Visus” maneat, id est temporis momentum quod omnem metamorphosin movet (Alcyone coniugis corpus restitutum mari videt; somnium eius umbram reducit; Ceyx moriturus hostem videt ...).
- Res-indicia addantur, quaedam singula quae aliorum scriptorum accomodationes generatim significant ut Christophori Ransmayr qui discipulorum operis coscius est, sua fabula de Ovidii exilio quae “De plagis extremis” inscribitur⁸.
- Gravitas in sermone et deverbiis et locis et vestibus maneat ut scaenae ex nostra aetate selectae magis insignes sint (nam exempli gratia, claustrum et specularium munimenta antiquae domus cuiusdam apud Placentiam compluribus scaenis maxime idonea visa sunt).
- In soni columna et externi sonitus et musici modi (sive primigenii sive ex capsellis magnetophonicis atque phonodiscis “compactis” nundinaticiis selecti) Ovidii fabulae aptentur.
- Computatorii instrumenti auxilium in metamorphoses in reddendis repudietur ne spectaculo magis quam animi contentioni indulgeatur in eventu.
- Imaginum grammatica adhibeatur etiam in cantico intimo ut totum drama visuale sit.

6. Quomodo deverbia cinematographica arte redditia sint

Scribere deverbia ab adumbrato subiecto munus difficile est plerumque discipulis, quod ii aut ad nimiam facundiam aut ad artificiosum verborum circuitum inclinant. Quod haudquaquam ad imaginum grammaticam pertinet. Interest contra discipulos de cinematographicae artis doctrina et vi communicandi penitus imbui. Ut textus scriptus verbis, sententiis, punctuatione utitur, sic imaginum grammatica prospectibus, luce, colore, dilabentibus imaginibus, musica, sonis, silentiis, technica connexionum, denique histrionum gestibus et visu utitur. Ceteris quoque rebus utitur quae signis suis sermones, cogitationes, animi motus extendant.

Qua re vere obsequens arti cinematographicae Christophorus Ransmayr scriptor videtur, qui Ovidii fabellas indicis quibusdam in aetatem nostram tranfert: armorum capsis, technicorum rebus, machinis echoicis, pellicularum thecis procientis cuiusdam ambulantis, odii phyletici et mortiferi

⁷ Primus ipse Ovidius huius contaminationis exemplum dedit (exempli gratia, vide TAB. 3).

⁸ C. Ransmayr, *Il mondo estremo*, tr. it. di C. Graff, Leonardo, Milano 1995.

spiritus terrore, amoribus qui fabula televisifica digni sunt, denique cochleis quae spumis suis nitentibus carmina Ovidii in lapidibus relictis inscripta tegunt.

Ipsae cochleae (quas Ovidiam et Publiam discipuli nomarunt) in photogrammate quodam acceptae sunt ut scriptor conscientius celebraretur. Nam ei debentur etiam domus xystus ubi Alcyone extremum bellum; Alcyones diutina expectatio et anxia; tragica aura; alicuius belli futuri sensus in tempore obscuro.

Fabula ad scaenas semel deducta sicut infra scripta est, discipulorum studii et operae exitus est. Brevior pellicula quae de Ovidii carminibus desumpta est, copulata cum canticis ed italis deverbiis anno MMIV edita est. Hodie etiam anglice et latine subnotata videri potest. In publico et in cinematographicis theatris saepius projecta est. In certaminibus ac lusoriis semper praemiis donata est et nuper, apud sodales Americanos et Europaeos qui internazionali conventui Sancti Servuli de Graecorum et Latinorum linguam ac litteras docendi arte interfuerunt, optime cessit⁹ sive pro re nova et inusitata, sive pro studii gravitate cum cinematographicae accomodationis laevitate conserta.

Et pace Ovidii poëtae dixerim, qui iam verum praesentiens, pro certo semper habuit carmen suum perenne fore.

“Metamorphosis”¹⁰
(fabula ad scaenas cinematographicae deducta¹¹)

SCAENA 1

INT (= interno loco) - DIE
IN REGIA

1.1

V. T.¹² (= vultus totus usque ad umeros) Alcyone, tamquam prospiciens a regiae pergula, machina manu, citharae musici modi

“Quid prospicio ? Aliquid in liquida aqua est; spatio distante nescio quid tueor ... pro certo habeo ...
quasi corpus videtur ... aliquis alicuius mortem lugebit, aliquis ...”

1.2

INT (= interno loco) - DIE
IN REGIA

V.T. Ancillae, machina manu:

“Ceyx anxia pectora turbatus est; ad bellum parat ire”

“Alcyones intima frigus ossa recipiunt buxoque simillimus ora pallor obit”

“Lacrimisque genae madent profusis”

“Ter conata loqui, ter fletibus ora rigat, singultuque pias interrompente querellas, tamen aliqua dicit”

1.3

⁹ Conventus “The challenge”, Sancti Servuli (in insula apud Venetos), 26-28 Iulii, anno MMVIII (www.iperlatino.it).

¹⁰ Cuius operae exitum videri potest in breviore fabula cinematographica expressa in disco digitali ad visionem apto (DVD), qui “Metamorphosis” inscribitur.

¹¹ Deductio ex Americanorum more hic redditur, adumbratis nonnullis curationis notis at perfectis diverbiis. Deverbis partim desumpta sunt, in italicum sermonem a Mario Ramous conversa, ex Publio Ovidio Nasone, *Metamorfosi*, XI, vv. 410-748 passim, Milano 1992; partim (in scaena tertia) libere explanata vel commixta sunt velut in centonibus, cum aliis locis desumptis ex Publio Ovidio Nasone, *Opere (Tristia; Epistulae ex Ponto)*, a cura di Francesco Della Corte e Silvana Fasce, vol. II, Torino, rist. 1991.

¹² Cfr. TAB. 2.

INT (= interno loco) - DIE
IN REGIAE PERGULA

Alcyone et Ceyx in mutuo complexu

V.T. Alcyone, machina manu:

“Quae mea culpa tuam, carissime, mentem vertit? Ubi est, quae cura mei prior esse solebat?”

1.4

INT (= interno loco) - DIE
IN REGIA

V.T. Ancillae:

“Aequora eam terrent et ponti tristis imago qui accipere Ceycem debet; una cum eo iactari vellet, tamen rogare non audet”

1.5

INT (= interno loco) - DIE
IN REGIAE PERGULA

Alcyone et Ceyx in mutuo complexu:

V.T. Alcyone:

“Omnibus locis huius belli signa vidi et nimium saepe in tumulis sine corpore nomina legi!”

1.6

INT (= interno loco) - DIE
IN REGIA

V.T. Ancillae:

“Sed neque propositos pelagi dimittere cursus nec vult Alcyonem in partem adhibere pericli multaque respondit timidum solantia pectus”.

1.7

INT (= interno loco) - DIE
IN REGIAE PERGULA

Alcyone et Ceyx in mutuo complexu

V.T. Alcyone et Ceyx

Ceyx:

“Longa quidem est nobis omnis mora, sed tibi iuro, me quam primum reversurum”.

Alcyone viro proficiscenti amplexum dat tristique miserrima tandem ore:

“Vale ...”.

1.8

INT (= interno loco) - DIE
IN REGIA

V.T. Ancillae:

“Dicit collabiturque corpore toto”.

“Vacuum petit anxia lectum et se toro ponit, sed renovat lectusque locusque Alcyonae lacrimas et quae pars admonet absit”.

SCAENA 2

INT (= interno loco) - DIE
IN REGIAE PERGULA

Campus regiae pergulam ubi coniuges extrellum “vale” dixerunt complectens. Alcione a reductis accedit tamquam ad maenianum (incessus eius in vacuo loco resonant)

V.T. Alcyone; exspectat anxia aspiciens

SCAENA 3

**INT-NOCTE
IN ARCE**

3.1

Singula, frangores displodentium globorum (imagines repartae impressaeque ab instrumento monitorio)

3.2

Campus totam arcem complectens

Ceyx, extra prospectum vox:

“Terra ab assiduo frigore usta me habet¹³,
Aliud quam regio inhabitalis, magni paene ultima mundi
Mea Alcyone, ubi es?¹⁴
Excrucior! Quod tamen vivus sum id vestigium est!
Complexu tuo accipi vellem, domi ...
Tamen te abesse incolumem gaudeo”.

3.3

V.T. Ceyx; in recessu commilitonum manus:

“At longe patria est, longe Alcyone, et quidquid mihi post haec duo dulce fuit.¹⁵
Si tamen haec adsunt ut quae contingere corpora non sit, animo cuncta videnda meo sunt.
Ante oculos domus, urbsque et forma loco rum errant
acceduntque suis locis singula facta”.

Fragor hostium qui semper aberat nunc adiens iam imminet

3.4

Campus commilitonum totam manum complectens. Omnes exsiliunt, parati ad impetum

Ceyx:

“Oxygenica!”

3.5

Visus tantum Ceycis cum persona oxygenica:

“Quam omnia amentis videntur! Pro somnio somniato mori!”

Excidit e prospectu tamquam, instrumento laserico, mortifero vulnere ictus

SCAENA 4

**INT - DIE
IN REGIA**

4.1

V.T. Ancillae:

“Alcione, tantorum ignara malorum, dinumerabat noctes et iam, quas indueret ipsa, festinabat vestes ubi venerat ille”.
“Alcyone optabat”.

4.2

V.T. Alcyone, se contemplans in speculo:

“Utque foret sospes, utque rediret, nullamque mihi praeferret!”

4.3

V.T. Ancillae

“Et illi hoc de tot votis poterat contingere solum”

¹³ Tristia III, 3, 8 *ustus ab assiduo frigore Pontus habet*; III, 3, 3 [...] *in extremis ignoti partibus orbis*; III, 4B, 51 *ulterius nihil est nisi non habitabile frigus*; Epistulae ex Ponto II, 7, 66 *ultima me tellus, ultimus orbis habet*.

¹⁴ Metamorphoses XI, 544-546: *Alcyone Ceyca movet, Ceycis in ore / nulla nisi Alcyone est, et cum desideret unam / gaudet abesse tamen.*; Tristia I, 2, 41 *o bene quod non sum tecum descendere passus*.

¹⁵ Tristia, III, 4B, 53-59.

SCAENA 5

INT - VESPERE
IN SOMNI DEI RECESSU

5.1

Singula. Somni recessus. In Somni recessu silentia non voce rupta, muta quies, dubiae crepuscula lucis habitant.
Ante fores et in antro fecunda papavera alba florent.
In toro plumeo ipse deus cubat.

5.2

Singula. Choclea, machina manu in sequendo

Iuno, extra prospectum vox:

“Iri, meae fidissima nuntia vocis!”

5.3

V.T. Iris

Iuno, extra prospectum vox:

“Vise soporiferam Somni velociter aulam exstinctique iube Ceycis imagine mittat somnia ad Alcyonem veros narrantia casus”

5.4

Singula. Choclea, machina manu in sequendo

5.5

V.T. Iris:

“Somne, quies rerum placidissime, Somne, deorum, pax animi, quem cura fugit, qui corpora duris fessa ministeriis mulces reparasque labori! Somnia quae veras aequant imitamine formas, iube sub imagine regis Alcyonen adeant, simulacraque naufraga fingant”

5.6

Campus Somni cubiculum complectens. Iris.

Iris Somnum blande alloquitur, machina manu in Iride sequenda usque ad Somni torum
Somnus tarda gravitate iacentes vix oculos tollens, excutit tandem sibi se cubito levans (cognovit enim eam)

Somnus:

“Morpheus! non illo sollertia alter esprimit iussos incessus vultumque sonumque loquendi”.

Ceyx, ab imo in prospectum init.

SCENA 6

INT-NOCTE
IN REGIA

6.1

Campus totum Alcyonis cubiculum complectens. Alcyone dormiens
Ceyx, a tergo, luridus, esamini similis, sine vestibus ulla, coniugis ante torum miserae stat.
Obstupescit captus ab ea dormiente sed cum Alcyone lacertos per somnum movet, ad se reddit.

Ceyx:

“Agnoscis Ceyca? An mea mutata est facies nece?”

6.2

V.T. Ceyx:

“Respice: noscere,.. Da lacrimas, lugubriaque inde, nec me indeploratum mitte!”

6.3

V.T. Alcyone:

“Mane! Quo te rapis? Ibimus una ...”

SCAENA 7**INT - NOCTE****IN REGIA**

7.1

Voce sua specieque viri turbata Alcyone soporem excutit. Motae voce ministrae inferunt lumen.
 Campus totum Alcyonis cubiculum complectens. Ancillae, cum luminibus ineunt.

7.2

Campus totum cubiculum complectens. Alcyone cum Ancillis.

Alcyone:

“Nulla est Alcyone, nulla est!
 Occidit una cum Ceyce suo. Solantia tollite verba!
 Vidi agnouique manusque ad discendentem, cupiens retinere, tetendi.
 Umbra fuit, sed et umbra tamen manifesta virique vera mei!
 Non ille quidem, si quaeris, habebat adsuetos vulnus nec, quo prius, ore nitebat;
 pallentem nudumque: sic vidi. Stetit hoc ipso, ecce loco.
 Utinam vestigia superessent! Cur e sonmo solverer? Somnium, visio ... Hoc satis est.
 hoc erat, hoc animo quod divinante timebam. Et ne me fugeres rogabam.
 At certe vellem, quoniam periturus abibas, me quoque duxisses !
 Multum fuit utile tecum ire mihi
 Nunc absens, iactor, mea domus ... num requiescam in quieto silentio quo nunc tenetur?
 Non te, miserande, relinquam; et tibi nunc saltem veniam comes.
 In sepulcro non urna nos iunget, sed una umbram lucemque vivemus, una ...
 hoc video, unum idemque sumus.”

SCENA 8**INT - DIE****IN REGIA**

8.1

V.T. Alcyone:

“Ille est! Sic ad me, miserande, redis?”

8.2

V.T. Ancillae:

“An senserit Ceyx illa oscula? Populus dubitat. At vultus eius ante eam erat”

8.3

V.T. Alcyone:

“Visum eius vidi, visum meum ... eiusque ...”

8.4 (Musica)

Singula, Duo alcyones se alis levant (imagines repertae impressaeque ab instrumento monitorio)

8.5

V.T. Alcyone et Ceyx; Ceyx a reductis ad eam accedit

8.6

Singula, Duo alcyones in aëre pennis pendent (imagines repertae impressaeque ab instrumento monitorio)

Tituli in exitu positi

Fabulae exitus

TAB. 2

Hic scribendi compendia explicantur de figurarum prospectibus et locorum campis¹⁶.

<i>Compendia Italorum more explicata</i>	<i>quae in omni prospectu vel campo excipientur et quomodo totum linteum album teneant</i>	<i>quid omnis prospectus vel campus efficiat</i>
DETT dettaglio	Res quaedam ante oculi posita vel singula eius pars	Indicium maximi momenti spectatori praebet.
PART Particolare	Corporis tantum una singula pars (oculi, os, manus ...)	Ad animi spectatoris motus pertinet: eum sollicitudinum personae participem facit.
PPP primissimo piano	alicuius visus tantum	Efficit ut spectator animi personae motus penitus comprehendat.
PP Primo piano	Frons et superior corporis pars usque ad umeros	Spectatori aliquid de persona (de moribus, natura, curis ...) communicat.
PM Piano medio	Corporis superior pars usque ad latera, nulla re in recessu	Ad personas et earum vincula pertinet.
PA Piano americano	Corporis superior pars usque ad genua	In fabulis Americae Occidentalis primum adhibitus est ut praedonum cingula cum manuballistulis ostenderentur.
FI Figura intera	Tota persona sic ut capite et pedibus inquadraturae margines tangat	Efficit ut spectator animum atque oculos in corporis habitum eius personae, quae in medio est, convergat.
CT (Totale) Campo totale	Interno loco spatium satis amplum	Adhibitur cum, exempli gratia, interiora aedium cum suis instrumentis simul monstranda sunt ubi actio quaedam definitur.
CL Campo lungo	Externo loco spatium quod totam personam, etiamsi parva mensura, complectatur	Regionem quandam vel locum externum circumscriptum omnino describit ubi actio quaedam definitur.
CLL Campo lunghissimo	Externum locum sic late patens quod hominis figura, si est, mensura minima effingatur	Universa generaliter complectens efficit ut spectator late prospectat ubi fabula definitur.

TAB. 3

De fabulae Alcyones et Ceycis carminibus cum Ovidii vitae usu apud Tomitanis comparatis¹⁷.

- De uxoris amore

Metamorphoses XI vv. 384-388 ... <i>Sed Alcione coniunx excita tumultu / prosilit, et nondum totos ornata capillos, / disicit hos ipsos colloqui infusa mariti, / ... verbisque precatur / et lacrimis, animasque duas ut servet in una.</i> vv. 441-443 “... me quoque tolle simul! Certe iactabimur una, / nec, nisi quae patiar, metuam; pariterque feremus, / quidquid	Tristia I , 3, 17-18 <i>Uxor amans flentem flens acrius ipsa tenebat / imbre per indignas usque cadente genas</i> I, 3, 79-82 <i>Tum vero coniunx umeris / abeuntis inhaerens / miscuit haec lacrimis tristia verba meis:</i>
--	---

¹⁶ Parvulum glossarium latine redactum est ut “cinematographica grammatica” intellegatur (hic, TAB. 4).

¹⁷ Publio Ovidio Nasone *Metamorfosi*, Garzanti, Milano 1992; *Opere*, vol II, UTET, Torino 1991.

<p><i>erit, pariter super aequora lata feremur!"</i></p> <p>vv. 457-460 <i>... veluti presaga futuri, / horruit Alcione lacrimasque emisit obortas, / amplexusque dedit tristique miserrima tandem / ore "Vale" dixit, collapsaque corpore toto est.</i></p> <p>vv. 676 <i>... "Mane! Quo te rapis? Ibimus una".</i></p> <p>vv. 684-85 <i>"Nulla est Alcione, nulla est! - ait- occidit una / cum Ceyce suo ...</i></p> <p>vv. 696-699 <i>"At certe vellem, quoniam periturus abibas, / me quoque duxisses: multum fuit utile tecum / ire mihi. Neque enim de vitae tempore quicquam / non simul egisset, nec mors discreta fuisset ...</i></p> <p>vv. 700-705 <i>« Nunc absens perii, iactor quoque fluctibus absens, / et sine me me pontus habet! Crudelior ipso / sit mihi mens pelago, si vitam ducere nitar / longius et tanto pugnem superesse dolori; / sed neque pugnabo nec te, miserande, relinquam, / et tibi nunc saltem veniam comes ...»</i></p> <p>vv. 577-582 <i>Omnibus illa quidem superis pia tura ferebat / ante tamen cunctos Iunonis templa colebat, / proque viro, qui nullus erat, veniebat ad aras, / utque foret sospes coniunx suus utque rediret, / optabat, nullam sibi praeferret ; at illi / hoc de tot votis poterat contingere solum.</i></p>	<p><i>«Non potes avelli. Simul hinc, simul ibimus-inquit- / te sequar et coniunx exulis exul ero ...»</i></p> <p>I, 3, 91-100 <i>Illa dolore amens tenebris narratur obortis / semianimis media procubuisse domo: / utque resurrexit foedatis polvere turpi / crinibus et gelida membra levavit humo, / se modo, desertos modo complorasse Penates, / nomen et erepti saepe vocasse viri, / ... et voluisse mori, moriendo ponere sensus, / respectuque tamen non periisse mei</i></p> <p>I, 3, 43-45 <i>Illa etiam ante Lares passis adstrata capillis / contigit extinctos ore tremente focos / multaque in adversos effudit verba Penates / pro deplorato non valitura viro.</i></p>
--	--

- [De procella](#)

<p>Metamorphoses XI</p> <p>vv. 481-485 <i>Impendunt adversae iussa procellae / nec sinit audiri vocem fragor aequoris ullam.</i></p> <p>vv. 492-494 <i>ipse pavet nec se, qui sit status, ipse fatetur / scire ratis rector nec quid iubeatve vetetve: / tanta mali moles tantaque potentior arte est</i></p> <p>vv. 480-81 <i>... coepit / ... praeceps spirare valentis Eurus</i></p> <p>vv. 490-492 <i>aspera crescit hiems, omniisque e parte feroce / bella gerunt venti fretaque indignantia miscent</i></p> <p>vv. 497-505 <i>Fluctibus erigitur caelumque aequare videtur / pontus et inducas adspergine tangere nubes / et modo, cum fulvas ex imo verritur harenas / concolor est illis, Stygia modo nigrior unda / sternitur interdum spumisque sonantibus albet / ipsa quoque his agitur vicibus Trachinia puppis, / et nunc sublimis veluti de vertice montis / despiceret in valles / imumque Acheronta videtur, / nunc, ubi demissam curvum circumstetit aequor, / suspicere inferno sumnum de gurgite caelum</i></p>	<p>Tristia</p> <p>I, 2, 13-18 <i>Verba miser frustra non proficiscentia perdo. / Ipsa graves spargunt ora loquentis aquae / Terribilisque Notus iactat mea dicta, precesque / ad quos mittuntur, non sinit ire deos. / Ergo idem venti ... / velaque nescioque votaque nostra ferunt.</i></p> <p>I, 2, 31-32 <i>Rector in incerto est nec quid fugiatve petatve / invenit: ambiguis ars stupet ipsa malis.</i></p> <p>I, 2, 25-31 passim <i>Inter utrumque fremunt immani murmure venti / ... vires capit Eurus ... Zephyrus ... Boreas ... Notus</i></p> <p>I, 2, 19-22 <i>Me miserum, quanti montes volvuntur aquarum / iam iam tacturos sidera summa putas / Quantae diducto subsidunt aequore valles / iam iam tacturas Tartara nigra putas</i></p>
---	---

<p>vv. 517-518 <i>inque fretum credas totum descendere caelum / inque plages caeli tumefactum ascendere pontum</i></p> <p>vv. 495-96 <i>Quippe sonant clamore viri stridore rudentes / undarum incursu gravis unda, tonitribus aether</i> vv. 507-509 <i>[Trachinia puppis] ... Saepe dat ingentem fluctu latus icta fragorem / nec levius pulsata sonat, quam ferreus olim / cum laceras aries balistave concutit arces</i></p> <p>vv. 522- 523 <i>Discutiunt tamen has praebentque micantia lumen / fulmina: fulmineis ardescunt ignibus undae</i></p> <p>vv. 529-532 <i>... ubi pulsarunt noviens latera ardua fluctus, / vastius insurgens decimae ruit impetus undae, / quam velut in captae descendat moenia navis.</i></p> <p>vv.566-567 <i>Ecce super medios fluctus niger arcus aquarum / frangitur et rupta mersum caput obruit unda</i></p> <p>vv.570-572 <i>Lucifer oscurus, nec quem cognoscere posses, / illa luce fuit, quoniamque excedere caelo / non licuit, densis texit sua nubibus ora.</i></p>	<p>I, 2, 46-48 <i>quantus ab aetherio personat axe fragor / Nec levius tabulae laterum feriuntur ab undis / quam grave balistae moenia pulsat onus</i></p> <p>I, 2, 45 <i>Ei mihi, quam celeri micuerunt nubila flamma</i></p> <p>I, 2, 49-50 <i>Qui venit hic fluctus, fluctus supereminet omnes: / posterior nono est undecimoque prior</i></p> <p>I, 2, 33-34 <i>Scilicet occidimus, nec spes est ulla salutis / dumque loquor, vultus obruit unda meos</i></p> <p>I, 3, 71-72 <i>Dum loquor et flemus caelo nitidissimo alto, / stella gravis nobis, Lucifer, ortus erat</i></p>
--	--

- De naufragi morituri extremis sollicitudinibus

<p>Metamorphoses XI</p> <p>vv. 544-546 <i>Alcyone Ceyca movet, Ceycis in ore / nulla nisi Alcyone est, et cum desideret unam, / gaudet abesse tamen</i></p> <p>vv. 561-565 <i>Alcyone coniunx : illam meminitque refertque, / illius ante oculos ut agant sua corpora fluctus / optat, et examinis manibus tumuletur amicis. / Dum natat, absentem, quotiens sinit hiscere fluctus, / nominat Alcyonem, ipsisque inmurmurat undis</i></p>	<p>Tristia</p> <p>I, 2, 41 <i>O bene, quod non sum tecum descendere passus</i></p> <p>III, 3, 15-17 <i>Omnia cum subeant, vincis tamen omnia, coniunx, et plus in nostro pectore parte tenes / te loquor absentem te vox mea nominat unam</i></p> <p>III, 3, 31-32 <i>Quantum erat, o magni, morituro parcere, divi / ut saltem patria contumularer humo?</i></p> <p>III, 3, 36-46 <i>depositum nec me qui float, ullus erit, / nec dominae lacrimis in nostra cadentibus ora / accedent animae tempora parva meae / nec mandata dabo nec cum clamore supremo / labentes oculos condet amica manus</i></p> <p>I, 2, 53-56 <i>Est aliquid, fatove suo ferrove cadentem / in solida moriens ponere caput humo, / et mandare suis aliqua, et sperare sepulcrum, / et non aequoreis piscibus esse cibum</i></p>
---	---

- De uxore malorum ignara

<p>Metamorphoses XI</p> <p>vv. 573-575 <i>Aelois interea tantorum ignara malorum / dinumerat notes; et iam quas induat ille, / festinat vestes, ...</i></p>	<p>Tristia</p> <p>I, 2, 3-7 <i>At pia nil aliud quam me delet exule coniunx / hoc unum nostri scitque gemitque mali. / Nescit in immenso iactari</i></p>
---	---

	<i>corpora ponto / nescit agi ventis, nescit adesse necem</i> III, 3, 25-26 <i>Ergo ego sum dubius vitae, tu forsitan istic / iucundum</i> <i>nostri nescia tempus agis?</i>
--	---

- De belli vera facie

Metamorphoses XI	Tristia
<p>vv. 507-509 <i>[Trachinia puppis] ... Saepe dat ingentem fluctu latus icta fragorem / nec levius pulsata sonat, quam ferreus olim / cum laceras aries balistave concutit arces</i></p> <p>vv. 525-536 passim <i>... ut miles numero prestantior omni, cum saepe adsiluit defensae moenibus urbis, /.../ inter mille viros murum tamen occupat unus, / sic ... decimae ruit impetus undae, / nec prius absistit fessam oppugnare carinam, / quam velut in captae descendat moenia navis ... Trepidant haud setius omnes, / quam solet urbs aliis murum fodientibus extra / atque aliis murum, trepidare, tenentibus intus.</i></p> <p>vv. 552- 553 <i>spoliisque animosa superstes / unda velut victrix</i></p>	<p>IV, 1, 69-78 passim <i>Quam miserum est, porta vitam muroque tueri, / vixque sui tutum viribus esse loci! ... Nam dedit e specula custos ubi signa tumultus, / induimus trepida protinus arma manu. / Hostis, habens arcus inbutaque tela venenis, / saevus anelanti moenia lustrat equo</i></p> <p>V, 10, 17-20 <i>Nil extra tutum est: tumulus defenditur ipse / moenibus exiguis ingenioque loci. / Cum minime credas, ut aves, densissimus hostis / advolat, et praedam vix bene visus agit.</i></p> <p>V, 2B, 65-70 passim <i>Nec me tam cruciat ... quam quod finitimo cinctus premor undique Marte, / vixque brevis tutum murus ab hoste facit.</i></p> <p>III, 10, 67 <i>[Sc. incolae pauperi] Tunc quoque, cum pax est, trepidant formidine belli.</i></p> <p>III, 11, 13-14 <i>... belligeris a gentibus undique saeptus / terreor, hoste meum paene premente latus.</i></p>

Notae

Hic explicatur et passim latine vertitur:

D. Vignola, *Ovidio il barbaro – Mito di metamorfosi ed esperienza del mondo estremo nelle immagini di un cortometraggio*, in G.M Anselmi, M. Guerra (a cura di), *Le Metamorfosi di Ovidio nella letteratura fra Medioevo e Rinascimento*, Gedit Edizioni S.r.l, Bologna, 2006, pp. 215-241.

De cinematographica grammatica inspiciatur:

S. Cortelazzo, D. Tomasi, *Letteratura e cinema*, Laterza, Bari 1998

G. Rondolino, D. Tomasi, *Manuale del film – linguaggio, racconto, analisi*, UTET, Torino 1995

D. De Gaetano, N. Rassu (a cura di), *Dietro la cinepresa – cinque conversazioni sui mestieri del cinema*, Lindaú, Torino 2002.